

BOTVIDI, JOHANNES
WITTE

**Tractatus brevis, de recta disputandi
ratione, scriptus a Johanne Botvidi Goto,
et cum consensu amplissimæ facultatis
philosophicæ, in inclyta Rosarum editus.**

Lubecæ typis Johannis Albini, anno M. DC. XIII.
1614

EOD – Millions of books just a mouse click away! In more than 10 European countries!



Thank you for choosing EOD!

European libraries are hosting millions of books from the 15th to the 20th century. All these books have now become available as eBooks – just a mouse click away. Search the online catalogue of a library from the eBooks on Demand (EOD) network and order the book as an eBook from all over the world – 24 hours a day, 7 days a week. The book will be digitised and made accessible to you as an eBook.

Enjoy your EOD eBook!

- ➔ Get the look and feel of the original book!
- ➔ Use your standard software to read the eBook on-screen, zoom in to the image or just simply navigate through the book
- ➔ *Search & Find*: Use the full-text search of individual terms*
- ➔ *Copy & Paste Text and Images*: Copy images and parts of the text to other applications (e.g. word processor)*

* Not available in every eBook.

Terms and Conditions

With the usage of the EOD service, you accept the Terms and Conditions provided by the library owning the book.


- ➔ Terms and Conditions: <http://books2ebooks.eu/odm/html/nls/en/agb.html>

More eBooks

Already more than 30 libraries in over 12 European countries offer this service.

Search books available for this service: <http://search.books2ebooks.eu>

More information is available at <http://books2ebooks.eu>



Kungl. Biblioteket
STOCKHOLM

F. 1700

Folios.

F1700
1506

BOTVIDI, J., Tractatus brevis de recta
disputandi ratione. 1614.

39/501

F. 1700
Fol. 0

TRACTATUS
brevis;


de

RECTA DISPU-
TANDI RATIONE,
SCRIPTUS

A

JOHANNE BOTVIDI
GOTO,

Et cum consensu amplissimæ facultatis philo-
sophicæ, in inclyta Rosarum
editus.



LUBECÆ

Typis JOHANNIS ALBINI, ANNO
M. DC. XIII.



Illustrib. ac Generosis D. B.

Dn. AXELIO GOSTAVI
oxestierna, Regni Sveciæ Cancellario, & Botniæ
Legifero. D. in **Sijholm**
& **Lyddö.**

Dn. CAROLO ERICI
oxestierna, apud Illustris: Principem, Dn.
CAROLUM PHILIPPUM, Su-
dermanniæ &c. Ducem, Aulæ Mar-
schallo D. in **Uindö &**
Widnöö.

Ut & nobiliss. amplissimisq. viris,

Dn. BRODERO ANDREÆ,
D. in **Broo.**

ET

Dn. JOHANNI SKYTTE,
D. in **Etvesiöö.**

Potentis: Principis ac Domini, Dn. GOSTAVI
ADOLPHI Sveciæ &c. Regis designati,
Confiliariis

Salutem per Christum.

Illustres generosi & nobiles viri, Domini benigni,
inter alia, quæ bonarum artium Studiosi tractant, non
postremum locum occupat legitimus conferendi modus.
quippe, qui rationem expolit, intellectum adjuvat, in-
genij operationem perficit: qui veritatem perplexis sæ-
pe circumseptam difficultatibus eruit, erroneasq; opi-
niones, quam commodissimè redarguit & evertit.
Quare merito laudandi sunt illi præclari viri, qui jam
perpetuo seculorum decursu, eundem excoluerunt, ac
præceptis illustratum accuratis, ad nos transmiserunt.
idq; eo nomine, ut & nos eorum vestigiis insistentes,
nihil intentatum relinqueremus, quod & ad rationem
excolendam, & ad veritatem (sine quâ urbes ac regna
stare non possunt) in humano genere conservandam fa-
ceret.

Hæc mihi ob oculos ponens, de eo relicta à bonis
Auctoribus præcepta, quâ fieri potuit diligentia, ante
plures annos colligere, atq; cum Studiosis Adolescenti-
bus communicare cœpi. Et quoniam iidem mei quales-
cunq; conatus, bonis viris in Academiis pluribus, præci-
puè Rosarum placuerunt, ac typis digni visi sunt: cogitavi
illos in utilitatem Scholarum Patriæ carissimæ, idq; sub
tutelâ nominis vestri celeberrimi edere: partim quod
Scholarum, atq; ita totiùs Patriæ & Ecclesiarum bo-
num studiosè promovetis: partim quod de hoc labore
pro excellenti vestrà omnium eruditione, rectissimè
judicare

judicare, & eū contra invidorum morsus tueri potestis. cum enim familiare sit hoc tempore sciolis, ut bonorum existimationi detrahant, atq; ex alieni nominis ruinā, ad laudem sibi viam sternant; quid mihi, qui me meaq; infra mediocritatem posita lubens agnosco, possit accidere, facile conjecturā prospicio. Rogo itaq; V. G. D. & N. quā par est observantiā submissioeq;, ut hoc levius munus, studij submissi ac observantiæ debitæ signum, serenā fronte suscipiant, ac me, quā hactenus literatos complexæ sunt benevolentia, complectantur. quæ res ad labores me alios, quos videro Patriæ ornamento, Ecclesiæ emolumento, Deoq; in primis honori cedere, excitabit.

Æternus DEUS, Pater Domini nostri JESU CHRISTI, V. N. ut & serenissimum Regem, Dominum nostrum clementissimum, ac universam Patriam, ab omnibus incommodis & periculis, in sui nominis sempiternam laudem & gloriam, diu clementerq; conservet: ut vestro presidio, pietas sarta tecta vigeat, literarum studia floreat, omnia deniq; benè succedant. In CHRISTO valete.

V. D. & N.

humiliter colens

Johannes Botvidi.



A. T. I. C.
TRACTATUS
de rectâ disputandi ratione.

Disputatio, ait Varro, lib. 5. de ling: Lat: venit à putando, putare est purum facere, arbores purgare, ac stolones cum fruticatio est inutilis & superflua, rescindere. Hinc disputare, propriè est interiora arborum, corticem rescando explorare, ac inutilia amputare. Id quoniam in similitudine præstant omnes, aut etiam præstare conantur, qui de rebus ritè conferunt (veritatem videlicet, in intimis rerum thalamis latentem, explorando, & falsitatem ac incertitudinem, veluti inutiles ac superfluos stolones rescando) disputare dicuntur, & eorum functio disputatio.

Disputatio est legitima placidaq; de materiâ aliqua conveniente & utili collatio, inter Opponentem & Respondentem, veritatis inquirendæ, aut confirmandæ gratiâ instituta. Hanc definitionem causalem resolvamus: ac 1. de Efficientib. disputationis causis. 2. Materiâ. 3. Formâ 4. Fine agemus.

DE PRIMO.

Causæ efficientes disputationis sunt Opponens, qui thesis oppugnat: & Respondens qui defendit. Quibus adjunguntur Præses & Arbitrator. Præsidis est, partes Respondentis magis tueri, quam Opponentis, pro re natâ quædam intermiscere, rem propositam dilucidè explanare

nare: utrunq; si laborare cœperint, juvare, utrunq; ubi opus est, à fervore affectuum, & errore revocare. Arbitri est totum actū gubernare & moderari: intra cancellos suos continere, & omnia, quasi generalis iudex, ritè componere.

Quæst. 1. Utrius partes, in disputando sunt potiores, Opponentis an Respondentis? R. Etsi par utriusq; ratio esse videtur, cum uterq; ita debeat, in proposita esse instructus materiâ, ut in utrunq; sit paratus: Respondentis tamen partes esse potiores, haud injuriâ censemus: tum quod materiam totam perlegere: tum etiam, quod eam, quasi veritatis patronus, adversus omnes defendere, necesse habet.

Quæst. 2. Unusne secum, contrarias rationes ponderans, disputare dicatur? R. id innuit Philosophus 8. Top. Cap. 1. Et 2. Elench: cap. 1. ubi nominat tales discursus *πρός, ή κατά, εαυτων ζητήσεις*. Verùm de talibus nobis hîc peculiariter sermo non est: quos tamen si preparationem & progymnasiam dixerimus, ad eam de quâ nunc loquimur disputationem, rectiùs habendam, à veritate non aberramus.

DE SECUNDO.

Materia disputationis *ζήτημα, πρόβλημα*, quæstio, controversia, positio, thesis, vulgò appellatur. ex quibus vocibus, etsi quasdam distinguit Arist: 1. Top. Cap. 3. & 9. idem tamè, in capite quod citabam, posteriore, non referre dicit, quo nomine utamur. & rectè: nam quorsum spectat, litigare de verbis, cum de rebus constat?

Thesis est breve axioma, conveniens & utile, expers omnis *ὀμωυμίας*, affirmatè positum vel negatè, de rebus divinis aut humanis. Unde planum est, & in verbis thesium, & in rebus, esse nonnulla peculiariter observanda,

da, nonnulla fugienda: quæ partim ex conditionibus
thesium, partim ex modo tractandi eas, intelliguntur.
conditiones quatuor præcipuè numerantur. I. ut
thesis sit brevis: nam quæ paucioribus, & magis perspi-
cuis vocibus constant, illa celerius rei cognitionem affe-
runt, quod melius est. & sanè, si æquâ judicij lance
rem ponderaverimus, cujus quæso rei gratiâ, verba mul-
tiplicaremus inutilia, quæ mentis intentionem, ac vires dis-
siparent, non unirent. Itaq; rectè Tertull: de An: Cap. 2.
certa sunt in paucis. II. Ut sit conveniens, conveniens est, i.
si est controversa, maximè nostro seculo: nã ea certo fine
constitui potest. Finis autè ille est veritas, quæ si ab omni-
bus recepta est, irriti erunt disputantium conatus: sicut
Hortulani, in arboribus nihil inventientis, quod amputa-
tione indigeat. idq; confirmat Arist: 1. Top. 9. dicens.
Omniem quaestionem ad disputandum proponere non de-
bemus: sed eam de quâ disputare quisq; possit, rationibus
egens, non pœnâ aut sensu. nam, ait, qui dubitat, an opor-
teat DEOS colere, & honorare Parentes nec ne? suppli-
cio coërcendi sunt. Et ibidem. Qui quærunt: estne nix
alba? sensu carent. item 8. Phys: tex: 22. Quærere ratio-
nes, ac sensum dimittere (puta in manifestis,) infirmitas
quædam est intellectus. Quare pessimam consuetudinem
esse judicamus, veritatem despiciere, ut ait Cassiod: lib. 3.
var: 1. Cap. 3. ac de manifestis, præsertim in Theologiâ
disputare, sepultasq; ante multa secula controversias, qua-
si ab orco revocare, ac Camarinam movere. II. Conveni-
ens est, si possibilis est cognitu: nam quæ cognitu sunt im-
possibilia, vires longè exuperant. Insania autem est, su-
pra vires aliquid suscipere. Ubi notandum, quædam esse
cognitu impossibilia ἀδύνατα, de quibus disputare non con-
venit, eaq; partim physica: ut atomi in aëre illustrato,

arenulæ in lictoribus maris, folia arborum. partim hyper-
physica, seu divina, in se quidè certà: sed nobis incom-
prehensibilia. de quibus Syr. 3. 27. & Proverb: 25. 27.
Quædam impossibilia; *ἄωσις* vel *κατάν*: Quæ sic quidè
dicuntur: non quod omninò à nobis cognosci nequeant:
sed respectu certæ disciplinæ, per cujus principia cognos-
ci, & disputari nec debent, nec possunt: nam fieret *μετέ-
βασις εἰς ἄλλο γένος*. quod prohibet Philof: 1. post: Cap. 7.
Ut si quis de rebus divinis statueret ex Philosophiâ. III. Ut
fit utilis. Utilis est, Si primò est digna: deinde cognitu
necessaria: cum enim, ut ait Hypp. 1. Aph. vita hominum
brevis sit, & ars longa: necesse est, prætermisiss otiosis, to-
to nisu ad utilia contendamus. qualia sunt, quæ Ecclesiæ,
Reipub. & vitæ privatæ incolumitatem ac salutem pro-
curant. breviter, quæ bonis aliquando sunt usui futura,
eadem quoq; sunt digna, ac cognitu necessaria. Quare
otiosa, scurrilia, inutilia, quæ neq; scienti profunt, neq;
ignoranti obsunt, tractare velle, nihil aliud est, quam
temporis jacturam, facere. Ut, si quis quæreret: quot te-
gulæ in tectis, aves sub cœlo, fluctus in mari, fructus in
autumno, quæ Patria Homeri, quo habitu dormivit Ana-
charsis? talia qui tractant, nugas seminant, & vanitatem
metût. IV. Ut sit expers omnis *ἁμωυμίας*, seu ambiguitatis:
nam ambigua gignunt errores, & ansam præbent verbo-
rum pugnis valde odiosis, quibus rerum ipsarum inquisi-
tio accurata sapius præpeditur: ut etiam barbarissimis
quandoq; de quibus videri potest Quint: Orat: Inst: lib.
1. Cap. 9.

Porro modus tractandi theses, varius esse potest: pro-
ut circumstantiæ temporum, rerum, & personarum ipsis
dispositionibus ansam & occasionem præbent: regula-
riter tamen fit, secundum methodum quæstionis simplicis,
&

& conjunctæ. Et meritò: nam aliàs legitimis nexib. non
 cohærent: atq; ut à thesum prolixitate, quæ multis est
 familiaris: ita à rerum confusione nemo abstineret. qui-
 bus vitijs, si solœcismi additi fuerint materiam quanvis
 indignis modis conspurcabant. Theses denominantur
 à facultatib. scientijs, & Artibus ex quibus desumuntur.
 Hinc Theses Theologicæ, Juridicæ, Medicæ, Philosophi-
 cæ, Physicæ, Ethicæ, Logicæ, Metaphysicæ: quæ omnes
 confirmari debent, & impugnari principijs, ex iisdem do-
 ctrinis petitis. Ergo theses Theologicæ Scripturâ pri-
 mariò: Juridicæ legibus: Physicæ rerum causis: mistæ
 illis doctrinis, in quibus subjectum & prædicatum reperi-
 untur. unde vulgò dici solet. Turpe est Theologo sine
 scripturâ, jurisperito sine legibus, Physico sine causis
 loqui.

Quæst. I. An de rebus Theologicis, puta doctri-
 næ Christianæ capitibus, & Sacræ Scripturæ testimonijs
 disputare liceat? Ratio dubitationis esse videtur, quod
 mysteria contineant. mysteria rationis discursu compre-
 hendi non possunt: aut si comprehenduntur, mysteria
 esse desinunt. Ut Athan: ad Antio: Princ: de varijs &
 necess: quæst: præclare scribit. *πρωτόλογον ἔδειξεν ἑστὶν ἀπὸ
 θαυμάσιον.* Deinde, quia res Theologicæ, sunt supra ra-
 tionem positæ, prius volunt credi quam intelligi: sicut ea
 quæ rationi sunt subjecta, prius intelligi, quam credi. Un-
 de efficitur, nec posse, nec debere quenquam, de illis,
 quemadmodum de his ratiocinari & disputare. Quid?
 quod Imperator quoq; Cod. de S. Trin: §. 4. disputatio-
 nes de rebus divinis, non tantum prohibuit: sed etiam
 in eos, qui disputant, graviter animadvertendum censuit.
 Et Athanasius in Epist: ad Serap. Spirit: S. non esse crea-
 turam, dicit. *Ἐὰν τις πρεσβυτέρως, ταῦτα ἐκ τῆς ἀποστολικῆς
 οὐσίας.*

ἠφία, ἀλλ' ἐν ἀσθενείᾳ πιστῶς ἀνοοῦντος πέπει. Item Cice:
Ethnicus in fin: lib. 2. de Nat: Deor: Mala est & impia
consuetudo, contra Deos disputandi, sive ex animo hoc
fiat, sive simulatè. Adhanc quaestionem, ut rectè re-
spondeamus, separabimus primò occulta, quæ Paulus
Rom: 11. 33. nominat ἀνεξερέδοντα καὶ ἀνεξήγητα. Talibus
enim rectè accommodatur illud Theodor: Dial: 1. & δὲ
τὰ κερυμμένα ζητεῖν. Et Ambrosi: lib. 1. de vocat: Gent:
Cap. 7. quæ DEUS occulta esse voluit, scrutari non debe-
mus. Secundò separamus quaestiones stultas & ineruditas.
de quib. 2. Tim: 2. 14. postmodum affirmamus, capita
doctrinæ Christianæ, & unde hæc deducta sunt, Sacræ
Scripturæ testimonia, posse ad placidam disquisitionem
vocari; idq; hisce rationibus. I. Quia Scriptura id probat.
Tit. 1. 9. et. 11. 2. Tim: 3. 16. 1. Tess: 5. 21. II. Exempla
Christi. Math. 22. v. 23. 34. 41. Marc. 12. 28. Luc. 10. 25. Apo-
stolorū Actor: 15. 7. Cap. 17. v. 18. 19. Cap. 19. v. 8. & aliorū.
Actor: 17. 11. III. Perpetuus Ecclesiæ consensus, ut videre
est apud Socrat: Histor: Eccles: lib. 2. Cap. 30. Euseb.
lib. 7. Cap. 24. August: lib. 1. Retract. Cap. 16. Sed hic
sedulo opera danda est, ne res tanti momenti, in abusum
trahatur; quod facile fieret, si terminos notatos ab Apost: 1.
Cor: 2. 13. Theodor: Dial: 1. August: de doctrin: Christian:
lib. 2. Cap. 31. Nazian: Orat: 33. in laudem Hieron: Athan:
Ser: 5. contra divers: Hæres: Eliâ Episcopò Cret: in Ora-
tionem 7. Nazian: de comm: differ: ratione, & alijs pijs,
non observaverimus. Videlicet, si non verbis spiritus
sancti, de rebus divinis locuti fuerimus: si non à temeri-
tate statuendi, & defendendi, non satis explorata (quod
etiam Ethnici oderunt, Ut videre est 1. de Nat: Deor:)
item pruritu contendendi, & audaciâ omnia in dubium
vocandi, abstinuerimus. Inde enim nascuntur Pyrrhonice
dubi-

sentiſt Athan: ad Serap: Spir: non eſſe creat: II. Ra-
tiones philoſophicæ, quæ uſum habent in Theologicis
diſputationibus, vel adhibentur, ad quæſtiones puras,
quarum ſubjectum & prædicatum, ſunt termini Theologi-
ci: vel miſtas, quarum terminus alter eſt philoſophicus.
Ad quæſtiones puras, quas Theologia propriè explicat,
& probat adhibitæ, nihil conferunt, niſi illuſtrationem
quandam & probationem ſecundariam. Quæſtiones
vero miſtas explicant, atq; confirmant: ita tamen, ut
Theologia tanquam dominas de talibus quæſtionibus
πρώτως καὶ ἰγυμένως pronunciet: quippe, quæ non ſolum
utriuſq; termini cognitionem habet: ſed etiam ſola cau-
ſam exponit, cur ſubjectum & prædicatum, hoc vel illo
modo coherent.

Quæſt. III. An de principijs doctrinarum di-
ſputare liceat? R. diſtinguendo principia, quorum alia
ſunt prima: alia diſciplinæ ſubalternatarum. Alia
vera & immota, vel propter divinam, quam habent Au-
thoritatem: vel communem rectæ rationis approbatio-
nem. Alia fallacia aſſumpta ab hominibus, quod toties
fieri ſolet, quoties aliqua mendacij Synagoga coaleſcit.
jam ſi principia prima ſunt, vera & immota, diſputandum
non eſt, præſertim contra negantem: quia principia,
quantum in ſe eſt, enervat, ut nullam vim inferendi ha-
beant. ideoq; dici ſolet: Contra negantem principia, non
eſt diſputandum. Deinde ſi principia ſunt diſciplinæ
ſubalternatæ, diſputari poſſunt, & dijudicari, vel ex ſub-
alternante, vel Philoſophiâ prima omnium Reginâ, vel
Logicâ omnium famula. ut eſt. 1. Top. 2. Deniq; ſi
principia ſunt fallacia, ab hominibus aſſumpta, diſputando
omninò everti debent, vel Philoſophiæ regulis, vel Scri-
pturæ divinitus patefactæ oraculis, prout res requirit.

DE

DE TERTIO.

Sequitur forma Disputationis, quæ verbis, placida legitimaq; collatio, significatur. Legitimum igitur, placidumq; conflictum, qui certo conferendi modo circumscriptus est, disputationis formam vocamus. Modus ille comprehendit Disputantium officia: quæ sunt, vel utriq; communia, vel alterutri propria. Communia officia sunt præcipuè tria. I. mentem, seu intellectum habere, cognitione linguarum, earumq; doctrinarum, de quib. agendum est, mediocriter illustratum. cogitant enim verum à falso dijudicare: quod nunquam præstabunt, nisi rerum cognitionem habuerint. Ut sentit Arist: 1. Eth. I. inquit: *ἐπὶ τῷ κρῖναι καλῶς, ἢ γινώσκει, καὶ τῶν ἐστὶ ἀγαθῶν κριτῆς.* Ergo quicumq; non ita de veritate, judicare vult, sicut cæcus de colore, & surdus de sono: necesse est in studia humano generi utilia, fideliter incumbat: ut disputaturus, eò rectius res discernere, artiū regulas adprobandum, & refutandum applicare, easq; negantem cogere: vel ut reddat ejus rei sufficientem rationem: vel ut acquiescat universalibus causis certitudinis in doctrinis: ad quas pedetentim, tanquam summum tribunal, est ascendendum, cum hoc aut rei gravitas, aut adversariorum postulaverit immodestia.

Cum primis autem requiritur cognitio Logicæ: utpotè quæ plurima docet, ad benè differendū necessaria. I. cognoscere quæstionis naturam, ac perspicere, quæ ejus partibus, subjecto & prædicato insunt. 2. ponderare argumenta, quæ inde extrui possunt, vel ab alijs extracta sunt, in utranq; partem, cum suis instantijs. ita sibi minus timebit Disputator: nam tela prævisa, minus feriunt. Quæ autem præter spem eveniunt, vehe-

menter movent. 3. ponere certum controversiæ statum, ad quem omnia argumenta, tanquam fixam metam, sunt dirigenda. quod si negligitur, Andabatarum erit pugna, hoc de cepis, illo de alijs tumultuante. 4. In promptu habere consequentiarum regulas, ad quemcunq; Syllogismum probandum. 5. omnia Syllogismorum formis includere.

Quæst. I. An illæ disputationes solæ probari debeant, quæ ad Logicæ formam, & modos sunt aptatæ: reliquæ vero reprehendi? R. litem hanc, putamus dirimendam esse, disputantium considerando dissimilitudinem: quorum alij fuerunt, & procul dubio, adhuc sunt, longo rerum usu peritissimi. qui licet vulgaritè loquantur: constanter tamen judicant: alij minùs periti, quibus utile est, modos ac figuras adhibere. illorum disputationes, in reprehensionem non incurrunt: quia satis esse judicaverunt, vulgaritè loquendo, infallibiles afferre rationes, sine figurâ & modo: cum vis argumentorum & probationum, non propriè à nudâ formâ Syllogistica: sed ab ipsa argumenti dependet materiâ. Quocirca nunquam fuit, nec adhuc est necesse, viros magnos, nisi certis de causis, ad figuras & modos astringere, præcipuè in Theologicis. Qui autem cum summis illis viris, auctoritate, eruditione, & ingenio conferri non potest, rectè facit, si disputando, intra Logicarum regularum cancellos, se continuerit: ita tamen, ut inter disputandum, se non convertat, ostentationis, aut temporis terendi gratiâ, ac carpat figuras, modos, ac consequentiarum regulas, ipsis rebus relictis.

Quæst. II. An cum hæretico disputare liceat? R. quia Salvator noster, ut historia Evangelica, & Sancti Patres, ut Ecclesiastica testatur, ab eâ re ubi operatur, non

non abhorruerunt : neq; etiam nunc vitio verti potest,
aut debet : Si orthodoxus, iustâ exigente causâ, cum hæ-
retico congressus fuerit, ac nihil intentatū reliquerit, quod
ad eum convincendum faciat. Hoc enim est ἐλέγχειν τῆς
ἁνωπλέγονταις, καὶ ἰσχυρίζεσθαι. Ut, Paulus loquitur Tit: 1. 9.
& 11. quod si postea in contumaciâ perstiterit, repellen-
dus est, iubente eodem Apost: ibid: Cap. 3. v. 10. & 11. quia
dicit, ἐξέστραπται ὁ πῖστός, καὶ ἀμάρτανει ὡν ἀντοκατάκριτος.
In quem Apostoli locum notabiliter scribit Ambros:
Cogere hæreticos videtur, qui saepe corrigit, ut sollicitio-
nes fiant, ad perdicionem multorum: Ideoq; dimittendos
esse, ut negligentiores facti, fortè soli pereant.

Quæst: III. An in publicis de religione Colloquijs
ex condicito habendis, semper servanda sit forma Dia-
lectica? R. Etsi interrogando & respondendo, quod
olim inter doctos usitatum erat, disputatio transigi po-
test, ubi ita inter partes convenit : judicant tamen ple-
riq; ad veritatem demonstrandam commodius, formâ
uti Dialecticâ quia tum effugia disputantes, tam facile
quærere non possunt : sed necesse habent, ad propofi-
tum respondere, vera concedendo, falsa negando, am-
bigua distinguendo : nisi malint bellum sine ordine,
jurgium inutile, & confusum clamorem. ut sentit Flac. 2.
part: clav: Tract. in Reg: Disp.

Porro, quæ illa forma esse debet, inter omnes non
convenit. Nos existimamus veterem illam formam dia-
lecticam (quam doctrina Christiana, ut loquitur August:
cont: Cresc: lib. 1. Cap. 20. non reformidat) perpetuò
seculorum decursu comprobatam, servandam esse : ita
tamen, ut non sit necesse singula Scripturæ dicta, per
formam syllogisticam probare. Ideoq; facimus cum
Jacobò Andread, qui in Colloq: Mompeli: festi: habit: 23.

Mart: p. 98. rejecit sententiam Bezae dicentis, Scripturae dictum, probationis loco allatum, esse inefficax, nisi inde fieret Syllogismus, ac pie respondit: Scripturae dicta non indigere, ut probentur per Syllogismum: sed propter divinam auctoritatem illis credi. Et verè: nam cum illa sint Christianae fidei principia, divinitus in se habentia *δωαμιν ἀναγκαστικῶν*, nemo facile eorum demonstrationem per syllogismum postulabit. Ea quoq; videtur mens D. Hunn; p. m., formam jesuivicam Anno 1601. Ratisbonae ad rayim usq; decantatam, carpentis. Formam illam Tanner: in sua Relat: de Colloq; part: 3. Cap. 1. decem regulis comprehendit, ac postmodum Cap. 2. p. 94. nonnullis alijs, amplificat. Ex quibus, quoniam quaedam dubiae sunt: sarius fuisset, si jesuivita veros, non toties repetivisset, sed reliquos probasset: cum evidentèr non constet, formam illam, eo modo, in omnib. totius orbis benè constitutis Academijs, ut loquitur, esse usitatam. Quod si fictis argutijs, hoc agit ut rimas quib. elabatur, habeat, declarat se de Can: 3. 4. & 6. distin: 37. jur: Canon: malè sentire, ac in eorum castra, qui Apostolicam Christianismi fidem, Dialecticâ & vana seductione turbant, transire. ut loquitur Socrates Hist: Ecclesi: lib. 1. Cap. 18.

II. Commune officium est, asserre appetitum rationalem seu voluntatem, omnibus, maximè sequentibus virtutibus exornatum. I. Studio veri: quod monet. 1. ne quis ullo pretextu veritatem obscuret, nedum opprimat. quod aliàs familiare est humilibus, ac servilibus animis, qui vel alieno judicio abrepti, suum in judicandis rebus, nunquam asserre possunt: vel amore vanæ gloriae, aut inanis victoriae, verbis pugnant in infinitum, ne victi videantur. 2. Ne quis opinionem Adversario, quam

nun-

nunquam defendit: affingat, aut ejus verba pervertat

3. Testimonium inimici contra inimicum, non admittat.

4. Nihil concedat, quod propriæ causæ incommodet: aut quod necesse sit postea extenuare. 5. Sed potius videat, quo pacto Adversarium tergiversantem, suis verbis constringat, & quasi proprio gladio jugulet.

6. Pro veritate alacriter pugnet, non quasi frigidâ perfusus esset, aut etiam animam ageret. II. Modestiam, quæ docet disputantes, ut sibi invicem & alijs (quorum tamen personam, dicta aut facta, non nisi gravi de causâ, defendenda sumant) convenientes deferant honorum titulos & obsequia.

III. Mansuetudine, quæ monet servandam esse mediocritatem, circa iram: ne animus concitatus, incidat in perturbationes: in quibus non est probè affectus, ad bene cogitandum, id ne fiat, alter alterum interpellare non debet: sed ad sermonis finem usq; patienter sustinere.

IV. Candore, qui docet approbare alienas voluntates, in justis causis, & sinistrè dicta & facta, flectere in meliorem partem. III. Com: off: est præditū esse facultate, animi sensa exprimendi, conjunctā cum benè differendi dexteritate, ac ad vocis, & gestuum convenientem personis, loco, & tempori moderationem, quam diligentissimè assuefactū, quorsum enim quæso, in veritatis inquisitione, Stentoris clamores, histrionica gestulationes, scurriles irrisiones, virulenti sarcasmi, turbulentiæ interpellationes, convitia & boatus, quasi quis in officinā Vulcani, aut convivio Lapitharum ageret.

IV. officia non conveniunt, ita ut Respondens opponenti, opponens v. Respondenti parti sit.

Hæc de communibus officijs: sequuntur propria. ubi prius de Opponente agemus, quam Respondente: nam etsi aliquid prius proponitur, quam oppugnatur: nihil tamen responderi potest, antequam aliquid oppo-

fitum fuerit. Priori ergo loco, Opponentis officia referemus. quorum primum est: ut materiam propositam sibi notam ac familiarem reddat; ita ut omnia obscura & intricata sciat, secundum mentem Respondentis, planis verbis exprimere.

II. Off: Consideret propositiones, à Respondente propositas, earumq; quantitatem & qualitatem. an sint universales, particulares, indefinitæ, affirmatæ, negatæ, necessariae, contingentes, singulares?

III. Pergat *ἀνακρίσειν*, destruere Respondentis rationes: vel *ὑπεκρίσειν*, id est astruere suas: vel utrunq;. In *ἀνακρίσει* seu refutatione rationum propositarum, consideret: an medium sit legitimè cum extremis dispositum: v. g. si conclusiones sunt universales affirmatæ, debet medium universalitèr antecedere majus extremum, & universalitèr consequi ad minus. alias erronea est conclusio, & argumentum facilè solvi potest. Porro si conclusiones sunt universales negatæ, repugnat medium, vel majori extremo, & consequitur ad minus: vel consequitur ad majus, & repugnat minori. Et sic consequenter, particulares affirmatæ, & negatæ examinanda: ut in Logicis docetur.

In *ὑπεκρίσει*, argumenta vel excogitet: vel ab Authorib. petat. Excogitet autem. I. considerando Respondentis conclusiones: an sint universales affirmatæ, negatæ, simpliciter, vel secundum quid, & eis opponendo contrarias, vel contradictorias? II. illas resolvendo in suas partes subjectum & prædicatum. III. Utriusq; quærendo antecedentia & consequentia, essentialia, propria, communia. IV. inde connectendo argumenta, ac de eorum solutionib., quæ fortè dari possunt, cogitando: ac vicissim contra eas pugnando. ita enim in
prom.

promptu sufficientes erunt probationes, & disputatio neq; risu, neq; commiseratione solvi potest. Ab Authoribus petat argumenta, in gravioribus exercitijs, præsertim theologicis: ubi periculosum est, humanis indulgere cogitationib., ac novas opiniones fingere. Rectè ergò faciunt, qui argumentis à Pontificijs, Calvinianis, Antitrinitarijs, alijsq; relictis, contenti sunt. ex quibus diligentè examinatis, facilè quis evadit, & ad veritatem defendendam, ac falsitatem refutandam, ubi opus est, satis promptus ac paratus.

I V. illis itaq; modo quo dictum est, præmissis, argumentum certæ thesi opponat, idq; vel directè, pugnante videlicet conclusione contra eam contrariè, vel contradictoriè: aut obliquè. V. Probet *ἡ ἀπορίαν*, seu præmissam dubiam: idq; tot ordine prosyllogismis, quot opus est; ita ut præmissa dubia, sequentis fiat syllogismi conclusio. nam eo modo causam reddimus, cur affirmamus, quod necesse est, teste Arist: 8. Phys: tex. 15, & Adversario rimas ne elabatur, obthuramus. VI. Attendat diligentè, ad responsiones, rectè percipiendas; an sint veræ vel apparentes: si veræ, an directæ, vel indirectæ: si directæ, an ad formam vel materiam spectent. VII. Si forma justè reprehensa est, eam pueriliter non defendat, sed potius syllogismum aliter proponat: idq; si fieri potest, in primâ figurâ, propter ejus præstantiam, de quâ Arist: 1. Post: tex: 31. VIII. Si ad materiam respondetur, solutionem repetat, vel iisdem verbis brevior, vel brevioribus longiorem, ac perspiciat, an ad præmissas faciat?

Ad præmissas facit, si vel distinctio vera, vel limitatio vel inficiatio fuerit. Distinctio vera est. 1. Si ex classicis Authoribus est petita, & in illa disciplina fundata, ad
quam

quam proposita thesis pertinet. 2. Si in eâ non est peti-
tio principij: ut fufius in Logicis. quæ diligentè re-
nenda sunt, contra eos: qui vel tam subtilitèr distinguunt
ut vix ipsimet intelligant. sicut loquitur Belli: lib. 2. de imag:
Sancti: Cap. 22. de sui similib. vel sic is distinctionib. argu-
menta eludunt, cum aliàs eorum vim sustinere non pos-
sunt. Limitatio, ad Canones bonæ limitationis exigenda
est: cum quib. si non congruit, per se mole suâ fraudis
corrui. itaq; argumentum est repetendum. Inificatio-
nis ratio quandoq; examinanda est, quæ si non satisfacit,
oppugnari debet, maximè syllogismo ducente ad absur-
dum, cui sæpe plus roboris inest. Cavendum autem ne
officia disputantium, confundantur. Qui responsiones non
examinat sed nescio quo verborum lenocinio acceperat,
imperitus creditur: sicut nugator, qui unum idemq; ar-
gumentum repetit, nullo habito datæ responsionis res-
pectu. IX. Si responsio indirecta fuerit: videlicet retor-
sio seu inversio argumenti: vel ἀντιποροσά, seu oppositio
fortioris: vel instantia: vel ostensio ἀντιπρῶτον, seu contra-
dictionis, in dictis Adversarij: vel oppositio paris, aut ma-
joris authoritatis: vel ἐπιωδήεις, seu increpatio, quod ar-
gumentum sit contra pietatem, & bonos mores: tum po-
stulante id rei necessitate. 1. reponat, tales responsiones
esse indirectas, quæ per se argumentum non solvunt. 2.
Singulas convenientè exploret, alhibitis regulis commu-
nibus. Allegare inconueniens, & dare instantiam non
est solvere. Non valet exemplum, quod litem lite re-
solvit. X. Si responsio apparens fuerit, videlicet ser-
mo ad rem non pertinens, ne tacuisse videretur: vel fal-
laciæ malè applicatæ: vel irritatio: vel ἐξθεμισμὸς exte-
nuatio argumenti: vel παρέκβασις digressio, diligentèr
caveat, ne affectib. abripiatur. Impedit affectus, ne
possit

possit cernere verum; dici solet. Sed argumentum eâ, quâ par est alacritate urgeat, donec fuerit abundè satisfactum.

Sequuntur officia Respondentis, præcipuè ratione conflictus. (Nam quòd theses conscribat, aut conscribi curet, maturè proponat, cum invocatione divini nominis initium faciat, modestè se auditoribus commendat, causas disputationis & utilitates, aut ipse, aut Praeses enarret, humaniter disputaturos invitet, gratias agat, & totum actum piè claudat, notius est, quam ut commemoratione indigeat.) I. Opponentis personam consideret, an sit superior, æqualis, aut inferior? an opponat seriò vel exercitij gratiâ? an sit amicus vel inimicus, peritus vel imperitus? Si superior est & amicus, rerumq; peritus, honorificè, datâ brevi solutione eum excipiat imò si res postulat roget, ut in respondendo suppetias ferat. Si inimicus & hæreticus, convenienter quidè eum invitet: verum ejus auxilium non quærat, neq; ei in justâ causâ cedat, cujuscunq; sit eminentiæ. Si æqualis, sive seriò, sive exercitij causâ disputaverit, refutet eum sufficientè, adducto pro ut res exigat certo elencho. Si inferior, non infringat Respondens, authoritatem suam nimiâ humilitatè: sed convenientè eum excipiat, nervosè refutet, ac si quæ sunt ineptè proposita placidè reprehendat. Si pertinax mansuetudine & patientiâ eum vincat. Si iracundus ab errore revocet: nec committat, ut ad similem animi infirmitatem, se trahi patiatur. Si impius ingeniosè abducatur, ad aliam quæstionem, aut moneatur, non expedire ita loqui & sentire.

II. Offic: Argumentum oppositum, vel iisdem verbis, vel planè eodem sensu repetat: ita enim, & ipse de

soluzione acrius cogitabit, & Opponens mentem suam rectè perceptam intelliget.

III. Quia argumentum interdum Respondentis personæ opponi solet, interdum thesi, necesse est id proximè consideret. Si personæ oppositum est, utatur ἐξθεμισμῶ extenuatione, quasi parum ad rem: vel ὑποκρίσει, id est simulum gestuum & vocis, cum Adversarius impudens est, imitatione: aut retorqueat in Opponentem, ut fecit Diogenes, cum ei opponeretur, quod ego sum, tu non es: Ego sum homo. E. tu non es homo. (cujus meminit August: lib: 2. de Doctr: Christ: Cap. 31.) retorfit argumentum, ac elusit dicens. Me hominem non esse, falsum est: si argumentum verum fieri volueris, incipe à me. Interdum addi potest ἐπιπληξίς, & πρὸς κβασίς. Omnia tamen cum micà salis, secundum iudicium rectæ rationis: nam talibus utendum, non abutendum.

IV. Thesi diligenter attendat. I. an tota vel ejus aliqua pars oppugnetur, & quidè an directè vel obliquè? II. an argumentum sit apodicticum, dialecticum, sophisticum, & quidè an formà syllogismi categorici, hypothetici, enthymematici, aut alterius propositum? III. quales & quantæ sint præmissæ: an coherant inter se ἀπλῶς simpliciter, an κατὰ secundum quid? IV, qualia subjecta & prædicata, quomodo medium ratione extremorum sit comparatum: quomodo prædicata, de subjectis enuncientur? an ὁμωνύμως univocè, ὁμωνύμως æquivocè, vel παρανόμως denominativè: an reciprochè, vel reduplicativè?

V. His præmissis, quæ disputantem acutum, ac industrium faciunt, ad rem veniat. Argumentum oppositum vel concedat, vel refutet, vel probari petat. concedat

dat si forma est bona, res sunt veræ, & conclusio nihil importat absurdi, præsertim contra theses.

VI. Refutet propter vitiosam consequentiam, propter vitium formæ & materiæ. In forma vitium est, cum syllogismus ad figuram aliquam, & modum, ac regulas legitimæ dispositionis, reduci non potest. quare tum neget consequentiã, & regulã contra quã peccet argumentũ adducat; idq; , si placet, simili vitioso exemplo declaret. De consequentia bonã & vitiosa vid Coninib. in Log: Tom: 2. p. 266. & Fonsæ: lib. 6. instit: Log: Cap. 2. & 3.

Ratione præmissarum, cum major vel minor, vel ambæ dubiæ sunt, aut falsæ, terminis malè coherentibus. & cum respondeat. I. directè, limitando, distinguendo, inficiando. Deinde etiam, si opus est indirectè, per retorsionem, ἀνθυποφωρῶν seu fortioris oppositionem, instantiam, ostentionem ἀπιστίας, seu contractionis, in dictis Adversarij: oppositionem paræ aut majoris autoritatis, vel ἐπίπληξιν seu increpationem: numquam autem apparenter: quia modi indirecti, subordinati directis, refutandi quidem vim habent aliquam: apparentes autem planè nullam. de quib. in Logicis.

Accedat ergo. I. ad majorem propositionem, quæ illationis est principium, ac attentet eam limitare, aut distinguere: id si fieri non potest, inficatione utatur. Is enim est ordo naturæ, ut prius leniora adhibeamus remedia, postmodum asperiora. jam limitatio & distinctio conciliant: inficatio vero destruit. II. Si major extra culpam fuerit, minorem convenienter neget, quæ plerumq; continet hypothesein Adversarij. III. Limitationum, distinctionum, inficationum rationem reddat, clarè ostendendo, juxta Elenchorum varietatem, an vitium sit in verbis, vel rebus? In verbis, an in obscuritate vel

ambiguitate? in rebus, an contra veritatem, vel bonos mores.

IX. Probari petat præmissam suspectam, alteram vel utranq; cum neq; commodè, neq; solidè responderi potest. idq; eousq; continuis prosyllogismis, donec ventum fuerit, ad id, in quo planè consentiant, aut ad aliquod absurdum. Si Opponens sua probare non vult, vel per imperitiam non potest, argumentum rejiciat. Si probat, diligenter attendat, ne in prosyllogismis committantur fallaciæ secundum plures interrogatines, vel petitionis principij. quod sæpe fieri solet, præcipuè cum aliena, aut controversa adducuntur. Item, si major petitur, & minor probatur. Si propositionis alicujus membra, plura fuerint, ordiæ ea repetat, ordine probari petat, ordine refutet. N. liberum esse, disputationem abrumpere, si commodè in principio responderi potest: vel etiam admittere, exercitij gratiâ: imò ingeniosum est, Opponentem exercere, & probandi difficultate premere.

Hic quæri potest, quo numero sint rationes ab autoritate petiæ in disputationib. ? R. Autoritas in philosophiâ negativè non valet: quia unus quæ vera sunt, omnia adhuc non scripsit: sed tantum affirmativè. puta si cum rectâ ratione consentit, & à peritis desumpta est: nam rectè creditur artifici in suâ arte. Verum si ea, cum ratione, nullo præconcepto judicio laborante, pugnaverit, rejici potest: consistit enim, extra rei naturam, in testantis autoritate, qui aliquid humanitùs, facillè pati potest. Itaq; rectè dixit Quintil. instic. orac. lib. 10. Cap. 1. id statim legenti persuasum non sit, omnia quæ magni Authores dixerunt, utiq; esse perfectâ: sam & labuntur aliquando, & oneri cedunt, & in dulgent
inge;

ingeniorum suorum voluptati, nec semper intendunt animos, & nonnunquam fatigantur. Cum Ciceroni dormire interim Demostenes: Horatio vero etiam homerus ipse videtur: summi quidem sunt, homines tamen. Quocirca, cum de rei veritate subtilius disquiritur, acquiescere non debemus, in solo *αὐτῶς ἐφα.* ut recte sentit Cicero. 1. de Nat: Deor: sed rationum momentis, nec unquam credere, quia dicitur: sed quia verum dicitur: Quae tamen eo rapi non debent, quasi quis Authores classicos, extenuare gestiat, aut è manib. discentium excutere: quibus omnes sciunt, tam esse utile, in primis studiorum annis, à bonis Authoribus, & magnis viris pendere, quam pupillis à Tutoribus: sed tantum ne quisquam eam libertate quam à Deo donatus est, spoliatur, adigaturque ad recipiendas veterum opiniones, quasi nunquam errarint, nihil ignorarint? quibus ingenijs nihil infelicius esse docet Scaliger Exer: 306.

In Theologiâ distinguimus inter Prophetas, Apostolos, & inter Ecclesiae Doctores, quos vulgò Patres nominant. Ab illis recte instituitur argumentatio, ut Logici loquuntur, affirmativè & negativè, quotiescunq; de rebus fidei est disputatio, cujus rei ratio est: quod Spiritus Sanctus singulari modo, per illos immediatè vocatos, locutus fuerit. 2. Pet. 1. 21. qui ipsa est veritas, ut falsum, cum eo simpliciter implicet contradictionem. quare ei proprie competit *αὐθεντία*, & autoritas, ac propter eum, Sanctis Prophetis & Apostolis, quibus immediatè divina revelatio facta est, credendi necessitas.

De Sanctis Patribus, quorum testificationem, ad nostram usq; aetatem, divina, nullo modo frustra conservavit providentia, tenendum: illos quidem multum confer-

re ad religionis certitudinem, propter nostram infirmitatem, & ad refutandos hæreticos: Sed tamen canonem Theologicarum controversiarum, non esse. I. quia sua scripta aliorum judicijs subijciunt: teste Aug: Epist: III. ubi dicit. Nos quorumlibet disputationes, quanvis Catholicorum, & laudatorum hominum, veluti Scripturas sacras habere, non debemus: ut nobis non liceat salvam honorificentiam, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, atque respuere: si forte invenerimus, quod aliter senserint, quam veritas habet, divino adjutorio, vel ab alijs intellecta, vel à nobis. Talis, inquit ego sum in aliorum scriptis: tales volo intellectores meorum. Jam verò, pro canone & norma, haberi non potest, quod subijcitur libertati eorum, à quibus teneri debebat. II. Quia suos errores habuerunt: ut Tertull: qui lib. de Exhort: Cast: Cap. 2. dicit restaurantes secundas nuptias, nisi contra voluntatem DEI. Cypr: qui lib. 2. Epist: 1. negat baptismum esse, quo hæretici utuntur. itaque dicit, qui sunt apud hæreticos, prophanæ aquæ labe maculati, baptizari oportere. Et alij de quibus, vid: 3. Cent: Magd: Cap. 10. & Orat: Chemn: de Lecti: Pat: præmissâ locis Comm: III. Quia interdum secum pugnant: ut docent Retract: August: . IV. Quia ipsi agnoscunt se errasse, & errare posse: ut videre est apud August: de bono Perf: Cap. 21.

Quando ergo adducuntur Patres, videndum est. I. quo post nativitatem IESU CHRISTI, tempore vixerint? II. An scripta eorum sint genuina, depravata, vel supposititia? III. Si genuina: An dogmatica, didactica seu panegyrica, vel elenctica? atque ita juxta Regulas sequentes judicandum. I. Minor est posteriorum, quam priorum Patrum auctoritas, quippe, quorum tempore Ecclesia, ab humanis traditionibus, vitium

tium accepit. ut ex chron: Carion: & Histor: Eccles: videre est. II. Quæcunq; Patrum testimonia, aberrant à divino verbo, nihil concludunt. nam Patres sibi propositum habuerunt, secundum mentem Spiritus sancti testari, quæ solum in Scripturâ est revelata. Ergo si quid extra dixerunt, id eâdem facilitate rejicitur, quâ dicitur. III. Quæ extra certamina liberius, aut incommodius dicta sunt, juxta fidei analogiam explicari debent. quod si fieri non potest, vel propter verborum evidentiam, vel etiam Adversarij petulantiam, dicendum est: JESUM nobis antiquitatem esse, cui credere nolle, manifestus est interitus. IV. non tam verba consideranda sunt, quam sensus. ut piè monet Chem: de lect: Augusti in Orat: de lect: Pat: V. Depravata & suppositiva scripta, nullum pondus habent: nam Authores unde dependent, contra L. Cornel: de fals: veniunt, atq; ita notis fide digni carent. 2. Rhet: 1. propositis.

X. Si Opponens continuè quærendo ἀπολογίαι, studeat Respondentem illaqueare; 1. Summâ openitatur, ne quid sibi contrarium, inter loquendum excidat. II. quærat quandoq; , quid Opponens ex suis postulatis propositis, sed non concessis, velit efficere. III. aliquando quæstionem æquè difficilem reponat, exemplo Christ. Math: 21. 23. IV. Si opus, dicat. non examini esse diem, sed disputationi dictam. V. in his & in alijs urgente rei gravitate, spacium deliberandi petat, aut munus respondendi deferat præfidi.

DE QUARTO.

Tantum de formâ: sequitur ut de fine ac effectis, quæ sæpe sub considerationem finis veniunt, agamus, idq; paucis. Finis Disputationis est veritatis inventio.

vcl

vel inventæ confirmatio. unde rectè cribrum veritatis appellatur. Effecta sunt. I. accuere ingenium, & augere eruditionem: nam præbet occasionem, inquirendi & cognoscendi ea, quæ faciunt ad veritatis confirmationem, & falsitatis refutationem. II. Firmare iudicium: quia docet ingeniosè invenire, inventa legitimè disponere, disposita benè judicare. III. augere memoriam: nam assefacit, ad alacritèr arripiendum aliorum scripta, ac fidelitèr retinendum. IV. expolire linguam: quia docet purè, perspicuè, & elegantèr, ubi opus est animi sensa exprimere. V. Facere ad convenientem ac decoram morum gravitatem, & suavitatem. VI. ad virtutum præsertim ὁμιλιτισμῶν, comitatis, affabilitatis & modestiæ exercitium. Quæ omnia, si juvenus experiverit, necesse est exercitationis assiduitati, tota incumbat, sine quâ omnis Disciplina præcepto est infirma, teste Cicer: lib. 3. & 4.
ad Heren.


Scal: Exer: 298. q. 6.


Per iudiciorum communicationem, accedunt incrementa scientiæ atq; artib. inventis: tum ingeniorum tanquam collisione veritas excutitur: unde cuiusq; cognitionis perfectio sequatur.

Idem Exer: 308.

Ait vives: Tacitis meditationib. magis proficere nos, quam altercationib. quod verum est. Etenim, sicuti lapidum collisione: ita ex disceptationib. elicitur veritas.

Soli DEO gloria.





www.books2ebooks.eu